An Convulsio hysterica εὐχερής?

Morbos naturæ hostes infensissimos fugat Medicus, diæta, Pharmacia, Chirurgia, quas tres θείων χεῖρες si ab artifice διαγνώσεως προγνώσεως θεραπείας perito tractentur. Hæc ordine postrema, nobilitate prima adhibitis tibi, quando, quantum, quomodo oportet præsidiis hostiles eorum præter naturam impetus eludit, partem affectam, morbum, causam vide diagnosi, futura prævide prognosi. Ars prædicendi in acutis quam chronicis facilior summo honore Medicum afficit maximo, si signa quæ in morbis apparent non deturbatur, quandoquidem præcipue eorum naturam exacte noverit: æruginosa, atra, crebra dejectio, surditas, delirium, tensio hypochondrii προσώπου διαφθορή, Convulsio in febribus, hystericis mulieribus vulgo mortem adferunt, Medicum nihil aut parum commovent.

Convulsio est invicta partium motui dicatarum originem suam versus contractio, ad quam cum tetro præter naturam concursu, δυνάμει κινητική: totam corporis molem cum mentis et sensuum læsione quatit Epilepsia, sanguinis, succi pituitosi, utriusque Bilis soboles, trahit corpus in posteriora ὀπισθότονος, cum in anteriora ἐμπροσθότονος, æquali contentione in utramque partem intendit τέτανος. Ceterum particulares notantur Convulsiones pro nervorum et Musculorum diversitate, in oculis strabismus, in labiis spasmus cynicus.

Symptomatum omnium author est morbus, Convulsionem efficit solutio continui, utrasque primigenii causas multiplices ad inanitionem vel plenitudinem apposite revocantur. Inanitionem moliuntur hypercatharsis ab Elleboro, stibio, phrenitis, causus, hæmorrhagia (venas sectione tutius, quam frigidæ affusione sedanda) et quotquot humidam nervorum substantiam absumere nata sunt; partes nervosas implent phlegmone, crassa frigidaque materia (hinc pueri, Melancholici qui ἀσωτέρως purgandi, Comitiali morbo obnoxii) corpus δυσδιαφόρητον et quidquid in pituitam præcipue faciendum.

Sympathicam Convulsionem infert non fixus humor, sed mole minima facultate maxima qualitas, vel aura νευρώδη μόρια feriens, à scorpii, phalangii, alteriusve animalis ἰοβόλου ictu, ulceris fœditate, ventriculi illuvie profecta: ab utero sæpius hæc calamitas: mirabilis enim cum universo corporis principatu κοινωνία partes omnes sui mali facit consortes: ardentis et sitientis in mulieribus grandioris non menstruali ad superiora excursu (quoquoversum enim moveri uterum affirmant) diaphragma premitur, hinc et partium respiratoriarum præfectarum afflictioni cerebrum condolens, movet Convulsionem. Frequentius et periculosius uteri vapor ex corrupto semine, nec non quovis alio humore circa locos putrescente sursum elatus ἄπνοιαν inducit, guttur veluti laqueo constringit, mentis aciem invadens, soporis, Melancholiæ, tum etiam Epileptici insultus par[illegible].

Quid Convulsione naturæ acerbius? quid ab exhausto profecta ad interitum præsentius? Uteri ardore febrili distenti nullum alexiterium, sive vitium plenitudo, halitus malignus, quidve aliud, anceps dubiumque, evitant: ab hydrope, lochiis suppressis, vulnere oborta præsentem mortem intentat. Sed θεραπεία, ætatis, ætatisque mutatio, muliebris Convulsionem solvunt, funesta igitur et severa. Non paucis convicio contumax, frequens vitas semper insidiatur, quam γυναικεία, pertinaces, diuturnæ non sanantur: momentanea, infrequens, levis terrore: febris vacationem adfert Convulsio, pueri tentantur et expediuntur facillime; quorum δὴς σπασμὸς brevi discutitur, hysterica citra febrem Convulsio confestim evanescit, uteri motus insolens compescitur, seminis alteriusve humoris aura putris dissipatur. Ad hæc præsto suffitus laboranti fœtorum [illegible], graveolentia naribus, suaveolentia utero admota, cucurbitulæ, extremarum partium et inferiorum fortis constrictio, crurum frictiones, enemata. Hinc cita huiusce affectus curatio, et partium à natura degressarum redintegratio.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Ergo hysterica Convulsio εὐχερής.

Asserebat Simon le Letier parisinus. A. R. S. M. DC. XVIII.